

AK. 532, 28

B. m. II



PROVERBIA
QVAE DAM
AB ABUSIONE VINDICANS
ACTVM ORATORIVM
INCRASTINVM DIEM
HORA LOCOQUE
INFRA INDICATIS
HABENDVM
INDICIT
M. IO. GEORG. Schulze,
SCHOLAE CATHEDRALIS
RECTOR.

NVMBVRGI
LITTERIS BOSOEGELIANIS.





*

*

*

uemadmodum nihil tam bene tamque sapienter dici potest, quod non in peruersum rapiatur sensum: ita proverbia praecipue, quae vel ex diuinioribus litteris sunt deponita, vel a sapientioribus hominibus adhibita, huic calamitati sunt obnoxia, quippe quibus vulgus profanum et imperitum, ad mores suos corruptos nefarie defendendos, turpiter abuti solet. Operae itaque me facturum pretium, existimo, si, ex innumera*rum* segete, pauca quaedam in medium adferam, vt ex iis appareat, me nihil scripsisse, quod a veritate sit alienum.

* De hoc argumento egerunt AHASVERVS FRITSCHIVS, GERBER et summe venerandus SCHAMELIUS noster in proverbiis latinis.

Atque vt inde incipiam, quis est adeo hospes ac peregrinus in diuinioribus litteris, qui nesciat, Christi legatum, Paullum, non * Ephesiis solum, sed et omnibus christianis hominibus auctorrem esse suasoremque, *vt tempori inseruant*. Graecum verbū significantius est, in quo latet similitudo, petita a mercatoribus, qui, nulla habita ratione sumtuum laborisque, optimas quasque merces sibi comparant, quibus quaestum facere possint. Vult itaque apostolus christianos homines accuratisimam habere rationem temporis, atque illud collocare in iis rebus, quibus sa-
lus non tam corporis, quam ipsius animae continetur. In quem vero sensum rapiunt haec verba illi, qui, cum Christi nomine gaudeant, eius tamen exemplum sequi nolunt? in tam peruersum, vt nihil posit esse peruersius. Sibi enim persuadent, hoc demum esse inseruire tempori, si eius, quo vivunt, temporis moribus totos se conforment, ea profitentes sacra, quae primaria habentur illo, quo degunt, loco, videntes etiam cultu corporis, qui sua aetate omnium consuetudine receptus est.

Im-

Imo eo procedunt audaciae, vt dicant, se preimere vestigia Paulli, adfirmantis, ** *se quibusuis quiduis fuisse*, ad voluntatem cuiusque se componentes, vt gratiam omnium captent et aucupentur. Ut adeo in illos quadret definitio sacerdotis e familia Iesu, quam celeberrimus ille morum doctor, Busenbaumius, dedit: Iesuita est omnis homo. Quid vero tandem est diuinis dictis nefarie abuti, et illa in pessimum torquere sensum, si hoc non est?

* In epistola ad eos scripta c. V. 16. ** I. Cor. VII II. 22.

Iudem, qui secus viuunt, quam christiani nominis ratio requirit ac postulat, cum mores imitantur eorum, inter quos versantur, aut cum astutos fallacesque homines fraudibus circumscribere non erubescunt, se causam suam melius perorare non posse existimant, quam si adlegent prouerbia illa: *Cretiza cum Cretensi, et vulpinare cum vulpe.* Sed isti falsi nominis christiani homines memores esse debebant praecepti apostoli, quo illis verituit, * ne similes se huic sacculo praestent. Constat autem, per saeculum intelligi mores saeculi corruptos, seu receptam viuendi consuetudinem. Qui itaque saeculo vult esse similis, vt prauos eius mores referat, ille in grauiissimam incurret poenam, et ** cum securis et improbis hominibus ad inferos damnabitur. Neque licet christianis hominibus vicem reddere mendacibus et ad fraudem compositis hominibus mentiendo fallendoque: neque enim alterius flagitium nobis, idem patrantibus, patruginatur, sed par est, vt recte agendo alterum a peccando deterreamus. Quod vero ad ipsa prouerbia attinet, habet quidem illa Erasmus in chiliadibus suis; *** tantum vero abeft, vt veluti praecepta fuerint proposita, vt potius ex factis enarratis manauerint eorum, quibus non fuit religioni cum fraudulentis fraudibus, cum fallacibus astu doloque certare.

* Rom. XII. 2. ** I. Cor. XI. 22. *** chiliadis I. cent. II. n. 28. 29.

Eidem abusioni obnoxium est tritum illud prouerbiu[m], quo *durm telum necessitas dicitur, aduersum quam, ne dii quidem res-* (2) stant
209

stant. Homines enim, qui vitae mortuorumque integritatem in minimis ponunt, cum officio suo non funguntur, aut peccatis se obstringunt, dicunt, se necessitate coactos, aliter facere non potuisse. Multi profecto sunt, qui, cum dies festos, quos summa animi religione celebrare debebant, rebus friuolis peragendis inpendunt, satis se excusatos, putent, si dicant, se, urgente necessitate, non potuisse non tempus, Deo sacrum, sibi vindicare. Alii cum preces, pro eo ac par est, Deo non adhibent satis purgatos se, existimant, si necessitatem, tamquam caussam, cur id facere omiserint, interferant. Imo sunt, qui, cum mendacii furtique se alligant, a necessitate petant patrocinium. Quid? quod illi, qui cum bona sua abliguriuerunt, et stipem ostentum mendicant, ut se fuosque alere possint, necessitatem instituto suo minime probando praetendunt, affirmantes, se inuitos, ad miserrimum hoc uitiae genus amplectendum, fuisse impulsos. Hos vero omnes eorumque excusationem, a necessitate petitam, refutat Paullus, cum negat, * *quidquam malum faciendum, vt inde eueniat bonum.* Interim proverbio huic sua constat veritas, neque de illo sumitur supplicium, ** qui demonstrare potest, se, necessitate coactum, alterum occidisse, metuentem, ne ab illo occideretur. Vtrum vero liceat mentiri, vrgente necessitate, de eo in vtramque sententiam disputat PICTETVS. *** Nemini autem licere furari ex necessitate, cum non in statu naturali, sed ciuili viuamus, et auxilio magistratus quisque vitae praefidia consequi poscit, vt illi necesse non sit, alienas res furtim subtrahere, et furtius, quod dicitur, pasci cibis, demonstrat KESLERVS. ****

* Rom. III. 8. ** in ethica christiana. I. III. p. 728. *** I. c. I.
XIII. p. 801. **** cas. conc. c. LVIII. p. 330.

Quis porro est ita rerum omnium ignarus, qui nesciat, quam nefarie abutantur scelerati homines illis proverbiis, quibus quisque suos patris manes dicimus, et sine vitiis nemo nasci, optimusque esse ille perhibetur, qui minimis urgeatur. Verum quidem est peccandi libidinem omnibus innatam esse hominibus, quae etiam sanctissimos sollicitat et in delicta praecipitat, neque finit eos

eos constantem semper inoffensumque virtutis cursum retinere; magna tamen datur differentia inter peccatum habere et peccatum facere, * vt diuinæ loquuntur litteræ, inter pios homines, qui cum sentiunt, se deliquisse, statim, mutato confilio, ad frugem, et, cum Deo in gratiam, redeunt, et inter impios, quibus non est religioni peccatis se obstringere atrocissimis, et in omni coeno voluptatis libidinisque voluntari. Vt adeo hi frustra, pro se defendendis, hoc prouerbium allegent, existimantes, neminem haberi posse eximium, *si suos quicunque patiamur manes, et nemo sine vitiis, in hac rerum uniuersitate, reperiatur.*

* Ioh. II. 8.

Eodem plane consilio flagitiis suis praetendunt defendendis homines, malis moribus praediti, hoc prouerbium, quo *sua quicunque trahere voluptas* perhibetur. Putant enim, inde consequi, vt sibi non vertatur vitio, quod voluptatibus sint dediti, cum nemo sit, quin, pro diuersitate indolis, diuersam quoque consegetur voluptatem. Sed scire isti homines debabant, magnum dari discrimen inter voluptates, quarum aliae cum honestate sunt coniunctae, et propterea innocuae licitaeque; aliae ab honestate remotae, et ideo prohibitae et beluis digniores, quam hominibus. Quemadmodum igitur nemo reprehendi iure potest, qui se oblectat cum Musis, qui fidium cantu non aures magis, quam animum demulcit, qui in prata hortosque expatiatus, oculos viriditatem graminis herbarumque pascit, naresque suauissimo odore, qui ex floribus efflatur, recreat: sic illi impuris se mancipant voluptatibus, qui carnis oculorumque cupiditati et vitae arrogantiae toti sunt immersi. Inprimis hoc prouerbio se defendunt, qui eiusmodi vitae genus elegerunt, quod quidem est quaestuosum, cum turpitudine vero ac dedecore coniunctum. Sed hi debuisent se ipsi in consilium adhibere, aut si ipsi habetioris sunt ingenii, alios perspicaciores homines, atque eorum suauius eiusmodi vitae rationem ingredi, quam persequentes et DEO grati et hominibus accepti esse potuissent.

(3

Quan-

Quanta vis sit consuetudinis in vtramque partem , de-
clarat illud proverbum , quo *consuetudo in ipsam naturam abire*
dicitur . Atque hoc proverbio abutuntur homines ad caus-
sam suam , eamque pessimam , bene scilicet praecclareque per-
orandam , cum dicunt , consuetudinem male agendi ita inse-
disse in animis suis et inueterauisse , vt illam , omni licet adhi-
bito studio , deponere non possint . Verum his verbis caus-
sam suam non defendunt , sed produnt . Primo enim ipsi pro-
fecto commiserunt , vt peccandi consuetudo in alteram veluti
naturam ipsis abiret . Id quod suo confirmant exemplo illi ,
qui simulac os aperiunt , omnes statim diras et execrations
euomunt . Eiusmodi profecto homines debuissent peccatum ,
tamquam malum hospitem , primo statim die animis suis ex-
pellere , neque illi ibidem diutius manendi veniam dare .
Deinde peccandi consuetudo non ita comparata est , vt pror-
fus non mutari posset ; quamquam negari non posst , ma-
gnum studium ac pertinacem laborem , ad illud perficiendum ,
requiri . Accedit , quod spiritus sanctus genio infernali longe
est potentior . Quemadmodum igitur huius instinctu malis
moribus adsueti sunt : ita illius auxilio , si illud sibi votis nun-
cupatis expetant , in desuetudinem peccata in se admittendi
tandem peruenient . Cum autem homines isti nullum labo-
rem detrectent , nullas molestias subterfugiant , vt opes cadu-
cas et fluxas consequantur : cur non elaborent potius in iis re-
bus , quarum intermissio aeternum exitium , exsecutio aeter-
nam salutem iis pollicetur ?

Ad fine huic proverbio illud est , quo iubemur nos confor-
mare rationi usuendi , quae in eo , in quo versamur , loco obtinet . Quod
cum veritate consentit , si sermo est , de rebus indifferentibus ,
quas Graeci $\alpha'dia\Phio\varrho\varsigma$ appellant . Id quod Augustinus
suo confirmat exemplo : Ambrosio enim scribens de ieunio
die sabbathi instituendo : *Cum Romam , inquit , venio , iciuno sab-
bathio ; Cum hic , scilicet Mediolani sum , non ieuno .* Cuius sen-
tentia accurate conuenit cum versu illo , ipsa vetustate vene-
ra-

rabilis: *si fueris Romae; romano viuito more.* Sed profani homines longius progrediuntur, putantes, se impiam etiam viuendi rationem regionis ac urbis, in qua se tenent, iure meritoque imitari posse, ita ut, si Sodomae vixerint, non sit, cur sodomitum illud ac detestabile flagitium committere erubescant. Sed illi in errore versantur crassissimo: neque enim ad regionis locique viuendi consuetudinem, sed ad diuinæ legis præscriptum, vitam ac mores componere debemus. Unde factum, ut * polypi indolem induere, Theognis iusserit, Phocylides veruerit, homines: quoniam ille de prudentia expetenda præcipit, hic de fugienda calliditate loquitur.

* *VITVS AMMERBACHIVS* in *Phocylidem.* p. 84.

Temperare mihi tandem non possum, quin mentionem hic faciam illius prouerbii, quod adfirmat, *cogitationis poenam neminem luere.* Etsi enim in foro humano illud valet, in quo nihil poena dignum putatur, nisi quod in actum erumpit: in foro tamen diuino locum non inuenit, in quo cogitationes etiam sub censuram vocantur. Testis enim est ipse servator noster, * *ex corde procedere malas cogitationes.* In vadimonia autem illo tremendo, quod, nouissimo die, omnibus hominibus erit obeundum, non solum facta, sed et verba, imo cogitationes, quas in hac vita homines impune abstulerunt, in lucem protrahentur, earumque poenam iustissimo iudicabunt grauissimam, qui illis animum inquinarunt. Quod qui secum perpendit, ille facile intelligit, cogitationum etiam habendam esse rationem, neque illis indulgendum, quoniam iisdem non leuis committi potest noxa.

* *Matth. XV. 19.*

Ex quibus omnibus liquido apparet, prouerbia, quibus homines tantopere delectantur, curatus esse interpretanda, ne in peruersum rapiantur sensum ab iis, qui id agunt sedulo, ut corruptos suos mores, auxilio adagiorum, excusent. Quis enim est, qui non vtroque, quod dicitur, pollice probet illud, omnium ore tritum, prouerbium, quo quisque fortunae suæ

AK The 106 X 3B 4177


Suae faber esse perhibetur, ac moribus suis sibi eam fingere. Nisi vero clarius exponatur, facile quis adduci potest, vt credat, diuinam prouidentiam res humanas non administrare, neque opus esse, vt quis, ad stabiliendam fortunam suam, summi ac praepotentis Dei auxilium omnibus precibus experat. Facile etiam fieri potest, vt ille, qui huic prouerbio subscribit, sibi temere ac falso persuadeat, pios homines, quibus Deus praeimpiis varias calamitates immittere solet, sibi ipsos hoc malum accersiuuisse.

Haec et plura alia in medium adferet

IO. CHRISTOPHORVS SCHMIEDIVS, *Osterfelda Misn.* cui nomen ipsum hoc negotium dedisse uidetur, vt hoc proverbum, sub suum ex schola nostra cathedrali discessum, ab abusione vindicet. *Qui* vt in posterum suo exemplo illud confirmet, suisque moribus sibi fingat fortunam, hoc est, quod omnes, quibus usus est, praeceptrores uno ore atque consensu illi apprēcantur. Eadem vota pro illo nuncupant condisci-puli, quorum voluntatis interpres,

IO. ANDREAS ADLERVS, *Numburg. Misnicus*, versibus germanicis bene illi ominabitur. Quod reliquum est, **S V M M E REVERENDOS CAPITVLI N V M B V R G E N S I S C A N O N I C O S, D O M I N O S N O S T R O S G R A T I O S I S S I M O S,** omnesque, qui illis nauant operam, sacrorum praincipue antistites, et quicunque mansuetioribus Musis fauent, demisse, officiose ac peramanter rogatos volo, vt cras, Deo dante, sua praesentia hunc actum oratorium illustrem reddere, et his declamatoribus exigui temporis attentionem praebere dignen-tur. Dicendi initium fiet hora X. audita. P. P. Numburgi die **xxii. mensis Septembris A. O. R. C I D I C C C X X X .**

B.I.G.



Farbkarte #13

B. m. II

II c
106

QK.532.28

PROVERBIA
QVAEDAM
AB ABVSIONE VINDICANS
ACTVM ORATORIVM
INGRASTINVM DIEM
HORA LOCOQVE
INFRA INDICATIS
HABENDVM
INDICIT
M. IO. GEORG. Schulze,
SCHOLAE CATHEDRALIS
RECTOR.

NVMBVRGI
LITTERIS BOSOEGELIANIS.

